



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

In diuum Cyprianum Martyrem, Sermo CXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

franguntur: ibi mentis iudicia vix mouentur, hic tota pietas inclinata descendit. Et quid plura fratres? Egit, egit Ecclesia sancta mater, vt nusquam à suo separaretur antistite. Ecce viuit, ecce vt bonus pastor suo medius assistit in grege, nec vnquam separatur Spiritu, qui corpore præcessit ad tempus, præcessit dico habitu: cæterum ipsa inter nos corporis sui habitatione quiescit. Extinctus est diabolus, persecutor occubuit: ecce regnat & viuit, qui pro rege suo desiderauit occidi, qui viuit & regnat cum patre in vnitæte Spiritus sancti Deus, per omnia sæculorum sæcula.

In diuum Cyprianum Martyrem, Sermo CXXIX.

QVoniam hodie Deo in natali sancti Cypriani Martyris conuenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphauit: & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum: ideo exultare nos conuenit & lætari. Natalem ergo sanctorum cum auditis charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes & stables & æternas, de mundanis risibus ad coronam & gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur. Cum ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare charissime, quod in solis prandis & profusioribus epulis natales martyrum celebrentur: sed imitandum tibi proponitur, quod in memoria martyris celebras. Aspice ergo charissimo, alacritatem populi circumstantis. In hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cum sanctus Cyprianus iussu tyranni feriretur, turbæ erant malorum expectantium chori, nunc multitudo fidelium

ad collatandum deuota confluit : tunc turba sæ-
 uientum, nunc exultantium: tunc desperatorum, nunc
 sperantium. Idcirco ergo natales martyrum annua
 lætitia celebrantur, vt quod semel actum est, per om-
 ne æuum in memoria maneat deuotorum. Gesta res
 est charissime, ne te dices ignorare, celebrantur an-
 nua, ne dicas, oblitus sum. Ad hæc ergo imitanda vos
 animate charissimi, hanc magnanimitatis gratiam
 concupiscite : hoc petite dari vobis, quod ille meruit
 adipisci. Omnes enim cœlestia cupientes terrenorum
 bonorum laqueis irretiri non possunt, quia conuer-
 sationem suam in cœlestibus statuerunt. Sicut ait
 Phil. 3. Sanctus Apostolus : Nostra autem conuersatio in cœ-
 lis. Dirigatur ergo cordis nostri desiderium ad habi-
 tationem cœlestem, vbi quum dispersus fuerit pau-
 peribus thesaurus, vester, illic erit & cor vestrum.
 Thesaurus autem bonorum omnium Christus est, qui
 vos cum Patre & Filio & Spiritu sancto donis cœle-
 stibus, & nunc, & in æternum cumulare & replere
 dignetur.

In consecratione Episcopi, Sermo CXXX.

Isa. 52. Sicut magnæ promissionis longa expectatio accen-
 dit animum, mentem fatigat, ita sensus omnes,
 & interna ipse viscerum suscitatur optatus promissio-
 nis effectus. Hinc est quod hodie, sicut dixit Isaias,
 Ecclesia mater sancta festiua, tota gaudens & com-
 pta processit, induit se tunicam iucunditatis suæ, & sicut
 sponsa imposuit sibi mitram, ac vario se compo-
 suit & decorauit ornatu : vt cœlum stellis fulget lu-
 minibus, & terra vernat floribus suis : & vt hortus
 producit germina sua, ita producit lætitia in conspe-
 ctu omnium filiorum suorum. Quia iuxta pollicitatio-
 nem David: Hodie pro patre natus est ei filius, qui
 eam